

quia mentiri solent qui subjiciuntur hypnotismo; quidam nonnisi diabolico interventu explicari possunt, v. g. si quis linguâ sibi ignotâ loquatur, vel percipiat res in regione admodum longinquâ positas, vel videat auribus aut audiat oculis, cum hæc phænomena legibus naturæ adversentur; alios verò effectus naturales esse arbitratur. Quam nos sententiam libenter amplectimur, et sic explicamus eos effectus hypnotismi qui nobis naturales videntur: Cum vehementius intenditur actus alicujus potentiæ, aliarum potentiarum actus sponte intermittuntur, ut supra diximus. Porrò qui adversus personam aliquam debilem vel nervositate laborantem hypnotismum exercet, in eo est totus, ut variis modis eam subjiciat sibi, vehementissimè imaginationem illius afficiat, eam ad unum objectum intendat, sicque intermittendo reflexionem ac proinde libertatem, cæcam ejus obtineat obedientiam.

235. Ex dictis sequitur quid tenendum sit de hypnotismo ad regulas *morum* comparato. Porrò non licet ad eos effectus recurrere quos nonnisi diabolico obtineri posse interventu diximus; his autem exceptis medicus peritus hypnotismo aliquando, rarò tamen, uti potest, gravi de causâ, ad majus bonum consequendum modo, quantum in se est, præcaveat malos effectus qui exinde sequi possunt.

VI. — De Amentia.

236. *Amentia notio.* — Amentia generaliter inspecta, est velut status hominis in vigiliâ ipsâ somniantis. Si pressius definiri velit, est status hominis rationis usu carentis.

Amentia porrò variam habere originem, varios suscipere gradus potest. Aliquando ab ipsâ nativitate exordium ducit, aliquando a causâ fortuitâ seu adventitiâ. Rursus, *temporalis* est vel *perpetua*, prout admittit vel non intervalla quædam lucida. Demum, *incompleta* est vel *completa*, prout aliquem vel nullum rationis usum admittit.

237. *Amentia explicatio.* — Amentia causa *remota* potest esse *moralis*; v. g. si quis, audito tristi nuntio, ingenti mœ-

rore afficiatur vel aliâ vehementiori passione teneatur, adeo potest commoveri perturbarique, ut rationis usum amittat. At propria et *proxima* amentia causa organica dicenda est. Cum enim ratio sit potentia spiritualis, *directè* et per seipsam attingi nequit. Cum verò indirectè pendeat ab organis, utpote quæ imaginationis ac memoriae auxilio indigeat; cumque imaginatio ac memoria, utpote potentia organica, directè attingi valeant, sequitur rationis usum minui vel etiam prorsus deficere posse, ex vitio vel læsione quædam cerebri, in quo imaginatio, ut memoria, sedem habet. Experimentiâ enim probatur eos qui a nativitate minori quàm par est cerebro utuntur, semifatuos esse; illos autem quorum cerebrum violentâ febris vel aliâ læsione afficitur, omnino vel partim saltem rationis usu privari. Hinc enim accidit ut apud illos imaginatio sic intendatur ut reflexionem et comparisonem cohibeat; mens autem in unum intenta impressiones et sensationes suas ad normam superiorem rationis comparare nequit, ac proinde ipsas, quocumque ferant, sine discretionem sequatur necesse est.

ARTICULUS II

De sede animæ in corpore.

238. *Opiniones.* Duplex est opinio philosophorum circa sedem animæ in corpore. Qui docent animam non corpori uniri nisi tanquam *mobili motorem*, solent eam reponere in aliquâ præcipuâ corporis parte, per quam cæteras partes moveat; sic Plato, qui animam rationalem in capite collocavit; Stoici, qui eam in corde esse voluerunt; Cartesius, Malebranchius eorumque sectatores, qui cerebrum pro sede illi adjudicaverunt.

Qui autem habent animam ut *formam substantialem corporis*, discernunt eam in toto corpore esse et in singulis ejus partibus, secundum totam quidem suam essentiam, non tamen secundum omnes potentias suas; ita Aristoteles, SS. PP. communiter et omnes scholastici. « Anima, inquit S. Au-

« gustinus, per omnes corporis particulas *tota* simul adest, « nec minor in minoribus, et in majoribus major, sed alibi *intensius*, alicubi *remissiùs*. » (*De Trinit.*, I, 6, c. 5, n. 8).

239. Assertio : *Anima humana est in toto corpore et in singulis ejus partibus secundum totam suam essentiam, non tamen secundum omnes potentias suas.*

PROB. 1^a PARS, scilicet animam esse in toto corpore et in singulis ejus partibus.

1^o *Ex notione formæ substantialis.* Forma substantialis est in totâ materiâ quam informat. Atqui ex probatis (n. 213), anima est forma substantialis corporis. Probat *major*, quia forma substantialis in eo a formâ accidentali differt, quòd non talem vel talem compositi partem perficit, aut varias compositi partes movet solum vel ordinat, sed cuique parti suum esse, suamque perfectionem largitur. Porrò hoc facere nequit, nisi toti composito et singulis ejus partibus immediatè præsens sit.

2^o *Ex operationibus animæ.* Unumquodque ibi adest, ubi operatur *immediatè*. Porrò anima immediatè operatur in toto corpore et in singulis ejus partibus. Nam corpus totum et corporis unaquæque pars habet speciem, vitam et sensum; habet autem ab animâ ipsâ.

3^o *Ex notione opinionis adversæ.* Nam 1 non facilius *explicatur* quàm sententia nostra. Quippe pars ea corporis, cui animam alligant adversarii, non nisi extensa esse potest, proindeque pluribus iterum partibus composita. Sed non faciliùs concipitur animam tali parti esse præsentem quàm omnibus et singulis partibus.

2 *Falso innititur fundamento*, quia fingit simplicitatem animæ ad instar *puncti*, quod ita est in aliquâ parte *continui*, ut in aliâ parte esse nullo pacto queat. Ast autem anima non ut punctum, per *quantitatis*, sed per *virtutis* contactum loco applicatur. Quamobrem ubivis esse potest, ubi virtutem operationis suæ potest extendere. Atqui minimè repugnat animam in plures corporis partes agere; ex eo quippe non sequitur eam in *pluribus locis* versari; non enim est in cor-

pore ut in *loco*, sed ut *forma in materiâ*, ut *perfectio in perfectibili*; nec est in variis partibus corporis, ut *separatis*, sed ut in *toto unitis*. — Nec faciliùs concipimus Deum simplicissimum omnibus rebus mundanis per suam essentiam et virtutem præsentem esse, quanquam id pro certo habemus.

PROB. 2^a PARS, *nempe animam esse in toto corpore secundum totam essentiam suam.*

Enimvero substantia simplex et indivisibilis, ibi est tota, ubicumque est. Porrò animæ essentia est simplex et indivisibilis. Ergo in toto corpore est tota, scilicet secundum totalitatem suæ perfectionis.

PROB. 3^a PARS, *nimirum animam non esse in singulis corporis partibus secundum omnes potentias suas.*

Ratio est quia, ex unâ parte, potentiæ animæ ab ejus essentiâ realiter distinguuntur, unde sola præsentia essentiæ non infert necessariò præsentiam omnium potentialium; et, ex alterâ parte, potentiæ spirituales excedunt corporis capacitatem, potentiæ autem organice propriis egent organis, quæ non singulis partibus corporis insunt.

Quocirca « intellectus et voluntas in *nullâ* parte corporis esse dicuntur » (1^a, q. 76, a. 8, ad 4); potentiæ autem sensitivæ illis tantum partibus corporis insunt, quibus insunt organa operationibus earum idonea; v. g. vis videndi est in solis oculis, vis audiendi in solis auribus, sicque de cæteris.

Cæterum anima *intensius* residet secundum suam virtutem in *capite* et in *corde* quàm in cæteris partibus; quippe quòd in capite vigent omnes sensus, cor autem est organum passionum, ut supra diximus (n. 131).

240. Obj. Si anima in omnibus corporis partibus versetur, erit jam diffusa et augebitur vel minuetur; quod repugnat ejus simplicitati.

R. Neg. maj. Nam 1^o diffusio importat *expansionem* quantitatis corporibus propriam, nec nisi metaphoricè spiritibus applicari potest, quatenus pluribus locis adsunt. — 2^o Nec augetur, nec minuitur anima, cum augetur vel minuuntur

corporis partes; ipsa enim, utpote simplex, nullius augmenti aut imminutionis est capax, sed actionem suam in majores vel minores corporis partes exercet, pro illarum augmento vel imminutione. Ita nec Deus diffunditur per orbem, licet singulis ipsius partibus præsens, nec augetur vel minuitur, augescendo vel imminutâ creaturarum magnitudine.

SECTIO SECUNDA

De animâ humanâ seorsim inspectâ.

De animâ humanâ seorsim inspectâ tria solent inquiri, videlicet 1° ejus natura, 2° ejus origo, 3° ejus immortalitas.

CAPUT I

DE ANIMÆ HUMANÆ NATURA

241. Disputatio de animæ humanæ naturâ gravissimi est momenti, sive illam *in se* consideres, sive *consectaria* illius pensites; ab eâ enim pendet animæ nostræ *origo* necnon *finis*. Porrò ut quæstionem hanc absolvamus, 1° diversos philosophorum errores declarabimus; 2° veram sententiam stabiliemus, ac 3° præcipuis occurremus objectionibus materialistarum.

ARTICULUS I

Recensentur varii errores circa naturam animæ humanæ.

Duplici ratione a philosophis erratum est de animæ naturâ, quum alii ad spiritualitatem ejus non satis attenderint, alii nimis: hinc *materialismi* et *spiritualismi* nimii opposita commenta.

I. — *Materialismi diversæ formæ et diversi fautores.*

242. Materialismus definiri potest *error ille quo anima humana vel corporea dicitur, vel saltem ita corpori alligata, ut sine illo agere et esse haud queat. Si prius, obtinet materialismus rigidus; si posterius, sensismus.*

243. Materialistæ *rigidi* triplici modo suum systema proponunt. — Alii opinantur animam a corpore ipso non discerni, sed in corporis *temperamento* vel *harmonia* consistere. Qui materialismus *physiologicus* nuncupatur; ita inter veteres Dicaearchus, Aristoxenus et Galenus, et inter recentes Hobbes, Collins, d'Holbach, Helvetius, Diderot, la Mettrie, Cabanis, Broussais. — Alii docent animam ipsum esse corpus, quatenus *actuosâ* vi præditum; tenent enim, ex unâ parte, nec materiam esse sine vi aliquâ, nec vim ullam sine materiâ; et, ex aliâ parte, vim istam idoneam esse ad explicanda quæcumque in homine peraguntur phænomena, et ipsammet cogitationem. Qui *recentior* materialismus *dynamicus* dicitur et patronos habet *positivistas*; inter quos in Germaniâ, Moleschott, Buchner, Vogt et Wagner; in Angliâ, Stuart Mill, Bayn et Spencer; in Galliâ autem, Comte, Taine ac Littré. — Alii demum, inter quos Stoici et etiam Epicurus ac Lucretius, volunt animam esse corpus naturæ cujusdam *subtilioris*; quippe cui, præter varia elementa quibus alia corpora constant, *novum* quoddam elementum attribunt « nominis expers, quo neque mobilius quicquam, nec tenuius exstat ».